WESSELII ALBERTI VAN HENGEL

DISPUTATIO

DE

BONORUM COMMUNIONE,

AB

ANTIQUISSIMIS CHRISTI SECTATORIBUS INSTITUTA.

LECTA

D. IV OCTOBRIS, III ET XVII NOVEMBRIS ANNI CIƆIƆCCCXXIII.

WESSELII ALBERTI VAN HENGEL
DISPUTATIO
DE
BONORUM COMMUNIONE,
AB
ANTIQUISSIMIS CHRISTI SECTATORIBUS INSTITUTA.

LECTA

D. IV OCTOBRIS, III ET XVII NOVEMBRIS ANNI CIƆIƆCCCXXIII.

Quotiescunque ad causas mutationum, quas vita hominum identidem subiit, animum meum adverto, nulla earum mihi maiorem vim et efficacitatem habuisse videtur, quam felicissima Religionis Christianae per terrarum orbem propagatio. Haec enim cum multa et prope infinita ad salutem communem effecit, tum novam in primis illam peperit progeniem, cui tale tantumque inerat benefaciendi studium, ut exemplo suo ostenderet, quod ait Lucretius: (1)

Denique coelesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est. Cu-

(1) *De rerum Natura*; Lib. II. v. 990.

Cuius studii quam alma nutrix ab initio Christi disciplina fuerit, et Scriptores exteri pariter ac Christiani nobis testantur, et illustri documento probat certus auctor, Lucas, in *Act. Apost. Cap.* II. ℣. 42—47 et *Cap.* IV. ℣. 32—37. Sed quamvis inter se omnes, si bene memini, de eo consentiunt, vera nobis hoc in libro tradita esse, haud paucos tamen vidi viros doctos auctoris mentem minus bene intellexisse. Neque omnia, quae ad antiquissimorum Christi sectatorum beneficentiam pertinent, tam plana iam et perspicua esse cognovi, ut nihil iis amplius insit, quod explicatione indigeat. Explicatio autem illius argumenti, ut nemini Literarum amanti omnino erit ingrata, ita his fortasse temporibus, quibus de horum hominum conditione pravae et insanae opiniones per vulgus denuo serpere incipiunt, cum maxime opportuna erit. (1) Quibus de causis mihi nunc nonnihil *de bonorum communione, ab antiquissimis Christi sectatoribus instituta*, disputare lubet.

Tripartita haec scriptio sit pro triplici, quae hic agitur, quaestione. Prima est *de illius bonorum communionis natura et indole.* Altera spectat *homines, qui bona, aut sua dederunt, aut aliena acceperunt.* Tertia rationem habet modi, *quo bona illa ab aliis in alios collata sint?*

Incipiamus igitur a *bonorum communionis, quae ab antiquissimis Christi sectatoribus instituta est, natura et indole disquirenda.* Sed vix hunc disputandi quasi campum ingredimur, quin tanta nobis occurrat sententiarum diversitas, ut fere ad pedem retrahendum commoveamur. Ecce! ingens veterum Scriptorum caterva,

(1) Scripta est disputatio anno 1823.

va, qui antiquissimos Christi sectatores, quidquid possiderent, in commune contulisse, atque his ex bonis aerarium congessisse tradit, unde quotidie singuli acciperent, quantum uniuscuiusque ratio postularet. Quod si verum est, homines illi comparandi sunt cum *Pythagoreis*, id est, interprete Photio (1), auditorum Pythagorae discipulis; nec non cum *Essaeis*, vel etiam *Therapeutis*, de quibus multa scripserunt Philo *Judaeus* (2), et Flavius Josephus (3), partim certa et perspicua, partim ambigua et obscura. Exstant apud Scriptores veteres alia quoque huius vivendi rationis exempla, veluti *Spartanorum*, qui secundum Lycurgi legem communia habuerunt convivia, quae a *frugalitate* φιδίτια appellabant (4). Et quis ignorat, nobis Platonem (5), quod ipsius discipulus Aristoteles (6) reprehendit, Rempublicam proposuisse, ubi non solum opes, sed uxores etiam et liberi communes essent? Cuius ad mentem, si Viro Docto (7) fides est, a Poëta co-

(1) *Bibl.* cod. 249 p. 712 Hoesch.

(2) In libro: *Quod omnis probus liber.* p. 878 ed. Francof. 1691. Item in libro: *de vita contemplativa.* p. 892, 899 et alibi.

(3) *Antiq. Jud.* Lib. XV. cap. 10, ubi *Essaei* cum *Pythagoreis* comparantur. Item Lib. XVIII. cap. 1. In primis vero *de Bell. Jud.* Lib. II. cap. 8.

(4) Vocem φιδίτια minus bene post alios Cotel. in Edit. *Patr. Apost.* Tom. I. p. 241 interpretatus est φιλίτια. Cf. Cragius *de Republica Lacedaemoniorum.* Lib. I. cap. 9.

(5) *De Republ.* Lib. III. Opp. Tom. II. p. 416. D. *Serr.* Lib. IV; p. 424 A. Lib. V. p. 449. Quae loca nuperrime haud praeteriit Doct. Ekker, *Spec. Inaug. in Protagorae apud Platonem fabulam de Prometheo.* p. 82.

(6) *Politic.* Lib. II. cap. 5.

(7) L. Bos, *Exercit. Philolog. in Nov. Test.* p. 70. sqq.

comico ficta est Praxagorae persona, quae Athenarum civibus meliorem imperare vellet Reipublicae formam, in qua nihil privati esset iuris. Silentio mittere licebit, quae Poëtae, tum Graeci, tum Romani de aurea generis humani aetate cecinerunt. Revertamur igitur ad Lucam, qui prima sane fronte eandem vel similem certe bonorum communionem sectatoribus Christi tribuisse videtur. Non solum enim *cap.* II v. 42 enarrat, eos perseverasse *τῇ κοινωνίᾳ*, id est in bonis suis inter se communicandis (1); sed v. 44 totidem scripsit verbis: *εἶχον ἅπαντα κοινά.* Quae confirmantur et illustrantur *cap.* IV, ubi dicit v. 32: *Οὐδὲ εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινά*: et porro v. 34, 35: *οὐδὲ ἐνδεής τις ὑπῆρχεν ἐν αὐτοῖς· ὅσοι γὰρ κτήτορες χωρίων ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχον, πωλοῦντες ἔφερον τὰς τιμὰς τῶν πιπρασκομένων, καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων· διεδίδοτο δὲ ἑκάστῳ, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν.* Haec autem verba eximios N. T. interpretes, omniumque facile principem, Grotium (2), hunc in errorem induxisse, ut et ipsi horum hominum institutum cum institutis *Essaeorum* et *Pythagoreorum* compararent, nullo modo miramur. Neque mirandum est, alios, quamvis comparationem illam non facerent, hactenus tamen cum iis consensisse, ut Christi sectatores, sive o-

(1) Hac voce *κοινωνία bonorum communicationem* denotari, satis effecit Moshemius in *Commentariis de rebus Christianorum ante Const. magn.* p. 113. sqq; quem praeter alios secutus est Kuinoelius in *Commentar. in libros N. T. Histor.* ad h. l. Moshemium praecesserunt Vatablus, Calvinus, Marloratus, Beza, Aretius, aliique N. T. interpretes.

(2) Ad Act. II, 44, ubi legantur Drusius aliique.

omnes (1), seu plerosque (2) ex communi aerario vixisse contenderent. Falsis vero hisce opinionibus nemo se doctius meliusque opposuit, quam Moshemius (3), cuius praeclari viri vestigia deinceps presserunt satis multi, harum rerum intelligentes iudices (4). Tantum vero abest, ut omnibus omnino de sententiae suae probitate persuaserit, ut recentiori memoria exstiterint haud pauci, qui veterem denuo scriptis suis propagarent errorem (5).

Sed

---

(1) Tillemont, *Memoires pour servir à l'Histoire Ecclésiastique des six premiers Siecles.* Tom. I. part. 2. p. 392 sqq. praecipue p. 406. Atque ita vulgo judicarunt patroni decretorum Ecclesiae Romano-Catholicae. Vide *Chamierum Contract. op. F. Spanhemii* p. 1090 sqq.

(2) Barbeyrac, *Traité de la Morale des Peres de l'Eglise* p. 206.

(3) In *Commentat. de vera natura communionis bonorum in Ecclesia Hierosolymitana*, quae reperitur in eius *Dissert. ad Hist. Eccles. pertin.* Vol. II. p. 1—53: ubi et nomina exhibentur eorum, qui iam antea opinionem vulgarem deseruerunt. Conferri merentur Calvin. ad *Act.* II: 44 IV. 37. Marloratus et Aretius ibid. Victor. Strigelius in *Hypomnem.* ad *Act.* IV: 47. et quos laudat Wolf in *Curis ad Act.* II: 44.

(4) Prae ceteris lectu dignus est Kuinoelius ad ll. ll.

(5) Vide Valckenaerii, summi viri, *Scholas ed. a cl.* Wassenb. *ad Act.* II, 44, qui inter alia his utitur verbis: „Sicut Christiani isti, qui erant Hierosolymis plerique, sic habebant bona sua communia sodales Pythagorei, atque istam bonorum communionem transferre voluit Plato in civitatem, quam animo efformaverat.“ Paulo aliter, nec tamen satis bene Heinrichs in *Comment. in Act. Apost.* Vol. II, p. 339 s. s. et Planckius in libro: *Geschichte der Christlich-Kirchlichen Gesellschafts-Verfassung*, Tom. I. p. 18 sqq. Schroeckhius etiam in opere suo eximio, cui titulus: *Christliche Kirchengeschichte*, Tom. II, p. 81, 82 inveteratam opinionem non plane excussisse vide-

Sed aut egregie fallor, aut nonnulli eorum, qui discrepant a Moshemio, perversam suam Lucae interpretationem ipsi infringunt. Quae enim a Scriptore Sacro de sectatorum Christi κοινωνίᾳ traduntur, pari modo accipere iubent, ac tritum illud in Philosophorum scholis proverbium: *Amicorum omnia communia esse*. Haud meminerunt igitur, in omni hominum sermone fieri solere, ut dicendi formulis ampliores identidem ex loquendi usu notiones tribuantur. Ultro scilicet et libenter damus, *Pythagoreos*, hominesque adeo Pythagora antiquiores, ubi de κοινωνίᾳ loquerentur, bonorum communionem proprie ita dictam significasse. At ab altera parte volumus, ut Viri Docti nobis concedant, vocabulum illud postea quoque ad eos translatum esse, qui large et liberaliter aliorum inopiae succurrerent. Si Novi Testamenti libros evolvimus, frustra ibi quaerentur loca, ubi κοινωνία de tali hominum dicitur convictu, ut nemo amplius rerum suarum dominus sit. Vox illa, si de rebus huius vitae usurpatur, unam denotat *beneficentiam et liberalitatem, erga pauperes praestandam*, et hac de causa etiam voci εὐποΐΐα adiungitur (1). Verbum item κοινωνεῖν, quoties ibi ad rem familiarem refertur, nihil aliud quam eandem designat *beneficentiae* virtutem: quare ab antiquis jam interpretibus et Lexicographis exponitur verbo μεταδοῦναι. (2) Atque ita scri-

---

detur. Mitto Eckermannum, auctorem libri: *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.*, Tom. II, p. 189, aliosque.

(1) *Rom.* XV, 26. 2 *Cor.* VIII, 4. IX, 13, *Hebr.* XIII, 16, ad quem locum legantur Theodoretus et Oecumenius.

(2) *Rom.* XII, 13. *Phil.* IV, 15. *Gal.* VI, 6. Cf, Schleusn. *in Lex.* h. v.

Scriptores exteros hoc verbum cum vocibus cognatis usurpasse, Moshemius (1) excitandis probavit, et aliorum locis, et loco in primis Aristotelis, ubi dicit: *Ἐν κοινωνίᾳ γὰρ ἡ φιλία· ἐςὶ δὲ ἀδελφοῖς μεν καὶ ἑταίροις πάντα κοινά* (2). Haud inepte quoque Vir Doct. (3) Barnabam laudavit vel incertum auctorem Epistolae, ejus nomine insignitae: in qua haec leguntur: Κοινωνήσεις ἐν πᾶσι *τῷ πλήσιόν σου· οὐκ ἐρεῖς ἴδια* (scil. *εἶναί τινα*). Εἰ *γὰρ ἐν τοῖς ἀφθαρτοῖς κοινωνοί ἐστε, πόσῳ μᾶλλον ἐν τοῖς φθαρτοῖς* (4). Sed legi in primis meretur Chrysostomi *Oratio in illud Apostoli dictum: oportet et haereses esse etc.* (5), ubi data occasione Lucae verba *πάντα κοινὰ εἶχον* sic explicat: *πολλὴν εἶχον πρὸς ἀλλήλους ἀγαπὴν*: uti et alibi in bonorum communione, quae primos illustravit Christi sectatores, nihil amplius videt, quam splendidum amicitiae exemplum (6). Quae loca maxime notanda sunt: quoniam auctorem vulgaris jam aetatis suae error occupavit (7). Nec negligendum fortasse est Philonis *Judaei* dictum in libro *de Judice* (8), ubi praemia promittit *τοῖς τὰς περιουσίας οὐκ ἴδια κτήματα νομίζουσιν, ἀλλὰ κοινὰ τῶν ἐν ἐνδείαις*: quibus verbis sine dubio homines benefici et liberales denotantur. Sed in re perspicua longus esse nolo (9).

Cum

(1) l. c. p. 23 sqq. (2) *Ad Nicomach.* Lib. VIII. cap. 9.

(3) l. c. p. 37. (4) Cap. 19, in Cotel. Ed. l. Tom. I. p. 52.

(5) Opp. Tom. III. p. 245 A. Montef.

(6) *Orat. in* 1 *Thess.* II: 8. Ibid. Tom. XI. p. 437, 438.

(7) Vide ejus *orat.* Tom. IX. p. 58. et Tom. X. p. 240 sqq. cf. et Moshem. l. c. p. 48, 49. (8) p 721. C. Ed. l.

(9) Qui plura cupit, adeat Wetstenii Edit. N. T. ad *Act.* II: 44. Suiceri *Thesaur. Eccles.* Tom. II. p. 126 s. s. aliosque.

Cum igitur opinio, a nobis improbata, nihil, quo se tueatur, in loquendi habeat usu; videamus, num gravius ei fortasse praesidium ex Historiae testimonio accedat. Provocant Viri Docti ad multorum Scriptorum veterum hac de re consensum, in primis ad Eusebium, qui Philonem, dicit, *Judaeum*, in vitae *Essaeorum* et *Therapeutarum* descriptione, *ad primos doctrinae Christianae auctores et disciplinam ab Apostolis Jesu traditam respexisse* (1). Hic vero rem non proposuit certam, et a dubio vacuam, sed meram ingenii sui conjecturam: quali haud raro uti debebat, cum hoc in opere, ut ipse testatur (2), novam incessisset viam et adhuc a nemine tritam. Illa autem conjectura vide, quaeso! quam longe a probabilitate absit. Primum nullus, quantum novimus, ante Constantini M. aetatem Scriptor memoriae prodidit, sectatores Christi, bonis suis, *Essaeorum* aut aliorum sodalium instar, in unum collatis, communi et aerario et mensa usos esse (3). Deinde eius, quod de Philone perhibet Eusebius, ne levissimum quidem vestigium in huius viri scriptis reperitur. Porro quam commentitium sit, quidquid doctrinae Christianae sive oppugnatores, seu corruptores de Essaea eius origine in

---

(1) *Hist. Ecclet.* Lib. II, Cap. 17: ubi eius verba haec sunt: *ὅτι δὲ τοὺς πρώτους κήρυκας τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας, τά τε ἀρχῆθεν πρὸς τῶν ἀποςόλων ἔθη παραδεδομένα καταλαβὼν ὁ Φίλων ταῦτ' ἔγραφε, παντὶ τῷ* (l. *πάντι τῷ*) *δῆλον*. Eusebium secuti sunt Sozomenus *Hiss. Eccl.* Lib. I, Cap. 12, aliique.

(2) Ibid. Lib. I, Cap. 1. Cf. Dallaeus *de usu Patrum* p. 4.

(3) Legatur Moshem. l. c. p. 49.

in medium protulerint, satis superque Viri Docti ostenderunt (1). Itaque cadit Eusebii fides: cadit item fides aequalium eius ac recentiorum hominum, quorum in libris eadem vel similia de vita sectatorum Christi ad *Essaeorum* exemplum composita leguntur. Et multo minus eos *Pythagoreorum*, aut *Platonicorum* rationem imitatos esse, quisque sua sponte intelligit. Sed cur plura? sicuti haec perversa de bonorum communione opinio eo demum tempore orta est, quo Monachorum collegia ubique instituebantur, sic evidentissimum est, illam nullo alio ex fonte profluxisse, quam ex prava verborum Lucae interpretatione (2).

Si quis igitur meliora edoceri cupit, haec ab eo tenenda videntur: antiquissimos Christi sectatores tanto quidem benefaciendi studio arsisse, ut ad bona sua, ubi temporis angustia postularet, vendenda promti et parati essent, nec tamen omnes, sed paucos tantum ea, vel omnia, vel pro parte, vendidisse. Qui ita facerent, non eo impulsos esse insana rei familiaris contemtione, sed hoc unum egisse, ut, quamquam sibi prospicere haud desinerent, aliorum inopiam sublevarent. Fuisse quoque inter illos, qui non solum sua sed et aliorum causa manibus suis operarentur. Atque ita

(1) Vide Bengelii Disput. *Bemerkungen über den Versuch, das Christenthum aus dem Essäismus abzuleiten* in Flattii *Magazin für Christliche Dogmatik und Moral.* Part. VII, p. 126, sqq. et Tingae *Orat. de Jesu Christo* Θεοδιδάκτῳ, *minime Esseno.* Antiquiori memoria hanc calumniam iam refellere conati sunt Zornius in *Diss. adversus Deistas Anglos, qui Christum pro Esseno habent*, in *Opusc.* eius *Sacris.* Tom. II, p. 62, sqq. et qui ab eo excitantur.

(2) Vide Mosh. l. c. p. 50.

ita hos homines exemplum praebuisse caritatis, nulla aetate visum, et, quod omnes sequantur, dignissimum. Quae singula nunc, quoad in controversiam adduci possunt, probare conabimur.

Non omnes Christi sectatores antiquissimos bona sua, sive omnia, seu ex parte, vendidisse, quis clarius docet, quam ipse Lucas? Hic enim nobis enarrat, multos eorum Hierosolymis privatas habuisse aedes, ad quas cum ejusdem disciplinae sociis quotidie congregarentur (1). Ipse Paulus, ut alibi tradit auctor (2), hospitio hac in urbe exceptus et rebus ad vitam necessariis instructus est a Mnasone quodam *Cyprio*, quem haud male interpretes, cum ἀρχαῖος dicatur μαθητὴς, iam ab initio Christi disciplinam amplexum esse monent. Et iam multis ante annis *Apostolus* hospes ibi fuisse videtur Barnabae, quem postea sibi habuit itineris comitem (3). Dicuntur etiam *Hellenistae* questi esse de viduabus suis in quotidiana bonorum distributione neglectis (4): ubi igitur ἡ διακονία ad nonnullas tantum mulieres, non ad ipsos *Hellenistas* refertur. Ita et Lydiae, Aquilae et Priscillae, Philippo *Euangelistae* aliisque exterarum urbium incolis privatae aedes et possessiones fuisse traduntur (5). Uti autem ex his iam elu-

(1) *Act.* II, 46. V, 42. XII, 12, 17. XXI, 18. Huc refero etiam IV, 23, ubi narrari puto, Petrum et Joannem domum adiisse, in qua cum familiaribus suis habitarent. Cf. *Luc.* XXIV, 12. *Joann.* XX, 10.

(2) *Act.* XXI, 15, 16. Verbum autem ξενίζειν non tantum significat *domicilium*, sed etiam *victum* alicui praebere. Vide *Act.* XXVIII, 7 coll. 10.

(3) Vide *Act.* IX, 26, 27.

(4) *Act.* VI, 1.

(5) *Act.* XVI, 40. XVIII, 2, 3. XXI, 8. Cf. *Rom.* XVI, 14, 15. 1 *Cor.* XI, 22, 34. XIV, 34, 35. XVI, 19.

elucet, quod probare volumus; sic iis quoque in locis, de quibus nunc quaestio agitur, alia nobis argumenta Lucas suppeditat. Primum enim quod facerent homines illi pietatis pleni, fecisse eos prodidit, non iussu legis alicuius, sed sponte sua, et prouti cuique placeret (1). Sic certe interpretes, quotquot a partium studio alieni sunt, ipsius mentem intelligunt (2). Et Justini *Martyris* tempore hanc agendi libertatem nondum sublatam esse, ex his eius apparet verbis: Οἱ *εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι* (3). Ubi autem res illa a libertate pendebat, nonne credibile est, alios bona sua vendidisse, alios quae possiderent retinuisse? (4). Meminimus quidem scripsisse Lucam: *ὅσοι κτήτορες χωρίων ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχον, πωλοῦντες ἔφερον τὰς τιμὰς τῶν πιπρασκομένων*; sed quid, si his cogitando adjiciuntur: ***cum urgebat necessitas:*** ita ut auctor de horum hominum *voluntate* locutus esse censeatur? Est haec quoque conjectura Moshemii (5), et multum ea commendationis accipit ex aliis locis, ubi Pronomen *ὅσος* similiter restringi debet (6). For-

---

(1) *Act.* IV, 32. V, 4. Cf. omnino 2 *Cor.* IX, 7.

(2) Legantur Erasmus, Vatablus, Grotius aliique ad *Act.* V, 4.

(3) Vide Justini *Apolog.* I, Cap. 88.

(4) Cf. Moshem. l. c. p. 31 sqq (5) l. c. p. 29, 30.

(6) *Marc.* III, 10 vox *ὅσοι* significat *quotquot eorum, qui in conspectum Jesu venerant.* *Luc.* XII, 3 *ὅσα* ad *doctrinas* respicit *communis utilitatis.* *Joann.* X, 8, verbis: *πάντες ὅσοι ἦλθον*, vel, uti Editio habet vulgaris, *πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον* sine dubio adiiciendum est: *quoad Messiam se dicebant.* Cf. praeter alios Tittmannus in *Meletem. Sacr.* ad h. l. Plura dabunt Lexicographi.

Fortasse etiam ipse Lucas, nonnullis, quae alius argumenti sunt, inter haec verba et commemorationem κοινωνίας v. 32 interponendis, lectoribus suis interpretationem illam commonstrare voluit. Nec praetereundum est, eum *cap.* II. *v.* 44, 45 bonorum communionem ab eorum venditione distinguere, et verbum ἐπίπρασκον eo in loco ponere, in quo cum praecedenti voce πάντες incommode coniungatur. Sed quidquid harum rerum est, haud crediderim, eum, si omnes omnia vendidissent, *cap.* IV *v.* 32. scripturum fuisse, quod ibi nunc occurrit: *Nemo plane dicebat suum esse, quod possidebat, sed omnia illis erant communia.* „ Is „ scilicet", ut Moshemii (1) utar verbis, „ qui se bonis o- „ mnibus abdicavit, eaque in commune contulit, nullo modo sic „ agere potest, ac si nihil eorum suum esset: possessionem enim „ iam et dominatum re ipsa amisit, nec pro suo aliquid habere „ potest. . Verum in eum, qui sua quidem retinet, omnibus au- „ tem lubenti animo impertit, optime haec quadrat loquendi for- „ mula, eum nihil suorum, ut proprium, spectare, sed omnia „ communia ducere". Praeterea qui putet, homines illos se omnibus bonis exuisse, non intelligo, quomodo *cap.* II. *v.* 42, ubi legimus, eos in bonorum communicatione *perseverasse*, auctori mentem suam tribuere possit. Hac enim in re perseverare prorsus nequit, qui iam utraque quasi manu effudit omnia, sed ille unus, qui sibi retinuit, unde subsidium laborantibus afferat (2). Et

(1) l. c. p. 29. (2) Προσκαρτεροῦντες dicit Lucas, atque ita verbo utitur, quod ubique locorum *perseverantiam* denotat. Cff. Schoettgenius, Schleusnerus, Wahlius (in *Clavi N. T. Philologica*) aliique Lexicographi N. T. h. v. Hoc

Et si Ioses vel Barnabas, cum agrum suum vendebat, ceterorum tantum vestigia secutus est, quid est, quaeso, cur Lucas, illis praetermissis, hunc unum nominatim laudaverit (1)? Grotius, „ oportet", ait, „ magnam fuisse possessionem Barnabae, quod „ eius speciatim hic fit mentio." Calvino autem aliisque hoc titulo ille nominatim laudari videtur, quod agrum vendidit, quem solum habebat. Sed uti hoc demum probari posset, si scripsisset auctor *ὑπάρχοντος αὐτῷ ἀγροῦ ἑνός*; sic illud nullo argumento nititur. Utraque vero coniectura sine damno carebimus, si existimamus, Lucam huius viri nomen commemorasse, ut claro monstraret exemplo, illud ipsum, quod vellent omnes, a nonnullis reapse praestitum esse (2).

Causam quod attinet, cur nonnulli horum hominum bona sua vendiderint, magno etiam in errore, nisi fallor, Viri Docti versantur. De proposito enim, quod fingunt, communis aerarii condendi nihil habet Lucas. Immo vero diserte tradit, bonorum pretia *inter egenos* pro uniuscuiusque inopia *divisa esse.* Nam *Luc.* II, 45 vocabulo *πᾶσι* solos denotari *egenos*, tam ex iis elucet, quae proxime sequuntur, *καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε*, quam ex *cap.* IV, 35, ubi vox *ἑκάστῳ* similiter ad egenos, de quibus auctor v. 34 loquitur, referenda est. Huiusmodi autem divisio locum obtinere non potuit, ubi divites una

---

Hoc igitur ex verbo apparet, vocem *κοινωνία*, non de *abdicatione possessionum*, sed de *pecuniae collatione* accipi debere.

(1) *Cap.* IV. *v.* 36, 37.

(2) Et ab hac sententia non longe discedunt Calvinus, Marloratus aliique. cf. et Mosh. l. c. p. 29 sqq.

una et pauperes pecuniae coactae fructum percipiebant. Rectissime mentem auctoris iam explicuit Cyprianus, de primis Christi sectatoribus haec scribens: (1) *Domicilia tum et praedia venumdabant, et dispensandam pauperibus quantitatem libenter ac largiter Apostolis offerebant.* Alio in loco (2), quem iam notavit Moshemius, (3), ita dicit: *Domos tunc et fundos venumdabant, et thesauros sibi in coelo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant.* Quod vero idem ille Moshemius cum aliis contendit (4), homines illos ita egisse, quoniam ex ore Jesu audiissent, vastationem terrae Judaicae instare, haud scio, an aeque improbandum sit, ac sententia, res huius vitae ab iis spretas et rejectas esse, quippe qui paupertati voluntariae studerent (5). Neutrum enim quadrat in ea tempora, de quibus nunc loquimur: sed cogitatio instantis vastationis aliquot annis post demum multitudinis animos occupavit; paupertatis autem voluntariae studium inter sectatores Christi multo recentioris aetatis exstitit. Fides sane habenda non est Scriptoribus seculi secundi exeuntis, aut tertii, uti Cypriano (6), ubi suam bonorum quorumvis vituperationem, ex temporum asperitate, prava N. T. interpretatione, Philosophiae contemplativae placitis, aliisque causis enatam, Apo-

(1) In libro *de opere et eleëmosynis*, p. 221 ed. Par. 1666.

(2) *De unitate Ecclesiae Catholicae* C. 187. (3) l. c. p. 46, 47.

(4) Praeter Moshemium l. c. p. 31, legantur Wetstenius et Rosenmullerus in Scholiis ad h. l. aliique.

(5) cff. Tillemont l. c. p. 393 aliique Scriptores Ecclesiae Romano-Catholicae.

(6) in libro *de lapsis* l. c. p. 172.

Apostolis affingunt eorumque aequalibus (1). Neque homines, qui Christo nomen dederant, ad se deprimendos et exhauriendos ante properarunt, quam vita solitaria inter eos introduci coeperat. Ipse Chrysostomus, ne plura dicam, de tempore, quo *Epistola ad Hebraeos* scripta erat, fateri non recusavit: *οὐδὲ ἴχνος τότε μονάζοντος ἦν, ἀλλὰ πάντα πρὸς κοσμικοὺς διελέγετο ὁ μακάριος οὗτος* (2). Alibi autem, quae Hierosolymis erga pauperes praestita sunt, officia ab amore repetit, quo alii alios complectebantur (3). Atque ita plane Lucas, cum *Cap.* IV, *v.* 32, priusquam in exponenda sectatorum Christi beneficentia excurrit, *omnes* tradat *arctissimo amicitiae concordiaeque vinculo conjunctos fuisse* (4): quemadmodum Paulus aliique N. T. Scriptores, ubi hanc ad beneficentiam lectores suos excitare volunt, argumentum ex uno ducunt amore, erga Deum, Christum hominesque habendo (5). Hic amor itaque, ut, quod Cicero (6) Xenocratem de discipulis suis dicentem inducit, hanc in rem convertam, discipulis Apostolorum incitamento fuit sua sponte faciendi, quod postea Monachi legibus facere coacti sunt. Qui autem bonis suis vendendis aliorum tenuitatem sustentabant, non eo reciderunt, ut ipsi vicissim ab hominum liberalitate pendere, vel ex communi aerario vitae subsidia petere deberent: sed, vel tantum sibi servarunt, quantum sibi ad se suosque alendos sufficeret; vel manibus operando victum quae-

(1) Cf. Chamier, l. c. (2) Opp. Tom. XII, p. 233.
(3) Ibid. Tom. X, p. 241. (4) Cf. Kuinoel ad h. l.
(5) *Rom.* XII, 9 sqq. 2 *Cor.* VIII, 9. *Jac.* II, 15, 16. *coll.* 8. 1 *Joann.* III, 17, 18. (6) *De Republica* Lib. I, Cap. 2.

quaesiverunt. Quae laetior illorum conditio se manifesto prodit in locis jam supra excitatis (1), ubi a miseris discernuntur aliorum ope indigentibus. In primis vero legi meretur dictum Pauli *Rom.* XV, 26, sectatores Christi Hierosolymitanos ab eorum pauperibus discernens, nec non commemoratio pauperum hac in urbe versantium *Gal.* II: 10, unde iure meritoque colligitur, fuisse etiam ibidem, qui pauperes non essent. Quid? quod aliunde novimus, quibuscunque per aetatem corporisque valetudinem, nec non religionis docendae negotia operari liceret, suis ipsos rebus consuluisse et consulere debuisse (2): cum Apostoli ceterique viri societati Christianae praefecti strenue fortiterque animis inculcarent, quod aït Hesiodus (3):

Τῷδε θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅστις ἀεργὸς
ζώῃ — — — — — — —

Si quis vero artem aliquam factitabat sordidam et homine Christiano indignam, huic valedicere omnino coactus, sed tum quoque adiutus est ad personam honestiorem sibi induendam. Neque alimenta suppeditata sunt aliis, quam quibus personae commutandae, propter ingenii tarditatem corporisve imbecillitatem, copia et facul-

(1) *Act.* II, 45. IV, 34, 35. VI, 1.

(2) Vide *Act.* XVIII, 3. XX, 34. XXVIII, 30. 1 *Cor.* VII, 20. *Eph.* IV, 28. 1 *Thess.* II, 9. IV, 11, 12. 2 *Thess.* III, 6—14. 1 *Tim.* V, 8. *Tit.* III, 14. Quorum locorum nonnulla iam conferri iussit Kuinoel ad *Act.* II, 44.

(3) *Opp. et Dies.* v. 301.

cultas plane deësset (1). Quare movere nos non poterit auctoritas Hieronymi, de primis Christi sectatoribus tradens, talem, auctore Philone, eorum fuisse vitam, quali modo Monachi suo tempore vivere cuperent, ut nihil cuiquam proprium esset, nullus inter eos dives, nullus pauper: patrimonia egentibus distribuerentur; precibus tantum, cantioni, institutioni religionis, et continentiae exercendae vacaretur (2). Longe aliam imaginem, non dico aetatis Apostolorum, sed suae eiusdemque iam valde depravatae, nobis repraesentat Tertullianus (3), his utens verbis: „ Neque enim Brachmanae aut Indorum Gymnosophistae sumus, sylvicolae et exules vitae. —— Non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, caeterisque commerciis cohabitamus in hoc seculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio."

Quemadmodum autem opulentiores nonnulli bona sua ad iuvandos pauperes vendiderunt; sic verisimile nobis est, alios in illorum vitam tanquam in speculum, ut ait Terentius (4), inspicientes, sociorum suorum inopiae subvenisse laborando. Quod quamquam Lucas de Hierosolymorum incolis non diserte narrat, ex

---

(1) Vide Neander *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums und des Christlichen Lebens*, Tom. I, Part. 2, p. 130 sqq.

(2) In libro *de viris illustribus*. Cap. 11.

(3) In *Apologet.* Cap. 42.

(4) *Adelph. Act.* III. *Scen.* III, v. 62.

ex iis tamen elicimus, quae scripta reperiuntur de extraneis. Illustre huius beneficentiae exemplum cernitur in muliere *Ioppensi*, Tabitha, quam, dum in vivis esset, id egisse manuum labore, ut vestimenta ipsis procuraret, viduae cadaveri eius adstantes testatae sunt (1). Hanc enim vim esse verborum: *ἐπιδεικνύμεναι χιτῶνας καὶ ἱμάτια, ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα*, apparet ex superiori huius mulieris laudatione, *multam eam et assiduam in bene faciendo fuisse* (2). Et iam Cyprianus auctoris mentem ita interpretatus est (3). Similiter Paulus, in concione *Mileti* habita, memoriam renovat laboris, quo, cum *Ephesi* versabatur, sibi non solum, sed etiam sociis suis victum quaesivit (4). Atque hanc agendi rationem familiarem inter priscos Christi sectatores fuisse, colligi potest ex Barnabae *Epistola* (5), ubi verbis supra excitatis haec subiunguntur: *καὶ διὰ τῶν χειρῶν σου ἐργάσῃ εἰς λύτρωσιν τῶν ἁμαρτιῶν σου*, id est, nisi fallimur: *operando quaerens, unde succurras pauperibus, veniam tibi peccatorum conciliabis* (6). Huc referenda etiam sunt, quae scripsit Tertullianus in libro *de Ieiuniis*, *cap.* 13, paulo quidem obscuriora, sed bene illustrata a Moshemio (7). Sed quid moror? Satis perspicua admonitio Pauli est (8), a quovis homine Christiano manibus laborandum esse, *ut habeat etiam nonnihil, quod indigentibus dare possit.*

II. Satis disputasse nobis videmur de bonorum communionis, ab an-

(1) *Act.* IX, 39. (2) *v.* 36. Cff. Heinrichs, Kuinoel aliique ad v. 39.
(3) *De opere et Eleēmosynis*, p. 215, 216. (4) *Act.* XX, 34.
(5) Cap. 19, l. c. (6) Cf. Cotel. ad l. l.
(7) *In commentariis* l. l. p. 264. (8) *Eph.* IV, 28.

antiquissimis Christi sectatoribus institutae, natura et indole. Ad alteram progrediamur quaestionem, quae spectat *homines*, *qui bona*, *aut sua dederunt*, *aut aliena acceperunt*.

Si quis rogaverit, *qui et quales* fuerint sectatores Christi, *bona sua cum aliis communicantes;* Planckium sibi habebit respondentem, hoc tantum ab hominibus factum esse, qui Hierosolyma incolerent, nec non paucissimis fortasse alibi habitantibus: ceteros vero ab hac communicatione se abstinuisse, quippe quam a rationibus societatis paulo amplioris alienam esse experiundo cognovissent (1). Eodem plane modo vel haud multo aliter longe plurimi iudicant viri docti (2). Et ipse Moshemius in hac fere opinione versatur (3). Sed nonne mirandum est, qui communionem bonorum talem fuisse putent, ut nemo sui iuris esse desineret, eius introductionem tam angustis unius urbis vel paucissimorum locorum finibus circumscripsisse? Nonne alterâ stante sententia, altera penitus evertitur? Equidem nullam video esse causam, cur minus cuiusvis loci incolae, quorum animos doctrina Christi ad liberalitatis studia formaverat, idem illud vitae institutum cepisse censeantur. Lucas quidem, quae de bonorum communione narrat ad solos refert Hierosolymorum cives: sed quid? si eum hos homines, a quibus societas Christiana initia duxisset, ex-

(1) l. c. p. 18—23.

(2) Vide Salmasium *de usuris* p. 656. Venemae *Institutiones Historiae Ecclesiasticae V. et N. T.* Tom. III, p. 225. Wolfium l. c. ad *Act.* II, 44. Heinrichs l. c. p. 340, 341. Valckenaerium l. c. aliosque.

(3) Vide *Dissert.* I. p. 14, 31. *Commentar.* l. p. 113.

exempli tantum causa commemorasse dicimus, silentio vero, quotquot exemplum illud secuti essent, praeteriisse, ne eadem identidem repeteret? Nusquam certe negavit, sectatores Christi alibi habitantes Hierosolymitanorum vestigiis institisse. Et tantum abest, ut ex eius commentario effici possit, communionem bonorum ab eo rem haberi minus cogitatam et ab amplioris societatis rationibus alienam, ut laudibus eam prosequatur, quales rebus conveniunt sapientissimo consilio institutis et a nemine non comprobatis.

Quae cum ita sint, nihil nobis obstare videtur, quominus existimemus, eandem bonorum communionem, quam Lucas Christianis Hierosolymorum incolis tribuit, alio quoque translatam, et ab omnibus usu receptam esse, qui Christi disciplinam vere et omnino sectarentur (1). Cui sententiae primum favent loca illa Novi Testamenti supra excitata, ubi ἡ κοινωνία hominibus Christianis generatim usitata fuisse dicitur. Deinde cum certissimum sit, quod post alios monet Moshemius (2), omnes coetus Christianos ad exemplum primi coetus Hierosolymitani compositos et instructos fuisse, haud incredibile est, bonorum quoque communionem hinc illuc transiisse. Sed quod coniecturae nostrae maximum pondus et momentum adiicit, in testimoniis vetustissimorum cernitur scriptorum, apud quos nempe, cum hanc rem attingunt, nul-

(1) Hoc unum concedimus, fieri potuisse, ut illa agendi ratio Hierosolymis, ubi inter sectatores Christi ingens pauperum fuit multitudo, magis quam alibi vigeret. Et fortasse haec etiam in causis est, cur, locis extraneis praetermissis, hac tantum de urbe locutus sit Lucas.

(2) *Commentar.* p. 112.

nulla reperitur locorum distinctio. De se suisque aequalibus Justinus *Martyr* haec gloriatur (1): *χρημάτων δὲ καὶ κτημάτων οἱ πόρους παντὸς μᾶλλον στέργοντες, νῦν καὶ ἃ ἔχομεν, εὐκοινὸν (l. εἰς κοινὸν) φέροντες, καὶ παντὶ δεομένῳ κοινωνοῦντες.* De primis item Christi sectatoribus Cyprianus in loco supra iam laudato (2) ita loquitur, ut vix aut ne vix quidem loqui potest, qui inter extraneos non eandem fuisse putet bonorum communionem atque inter Hierosolymitanos. Similiter et alibi mentem explicat (3). Cum autem Eusebius aliique Scriptores inde a seculo IV tradunt, quae ab his discrepant; in errorem eos manifesto induxit opinio supra refutata, Apostolos Christi eorumque socios et discipulos in vita sua imaginem Pythagoreorum retulisse et Essaeorum.

Putamus igitur extraneis in urbibus ac regionibus haud secus atque Hierosolymis bene multos homines Christianos, vel pretia possessionum, quas vendidissent, vel mercedis operando acquisitae partem in commune contulisse, ut sustentarentur socii, tum qui secum habitarent, tum maxime in Iudaea degentes: atque huc spectare, quidquid Novi Testamenti scripta de donis extra Palaestinam pauperum in usus collatis contineant. Sed uti supra vidimus, non omnes opulentiores Hierosolymis bona sua vendidisse, aut, quotquot hoc facerent, se tamen nullo modo ad inopiam redegisse; sic exteri quoque homines beneficentiae suae modum adhibuerunt. Primum enim in aliis Novi Testamenti libris pariter atque in commentariis Euangelistarum discernuntur pau-

(1) *Apolog.* II. (2) *De unitate Ecclesiae* p. 187.
(3) *Testimoniorum* Lib. III, *ad Quirinum.* p. 265.

pauperes divitesque Christi sectatores (1). Deinde laudantur homines Christiani, qui, opibus abundantes, partem earum haud exiguam ad egentium commoda impenderunt (2). Atque ad horum exemplum ut omnes se componant, lectores suos Apostoli in epistolis variis exhortantur (3).

Plura hac de re disputare non opus est: sed nunc age, *quale hominum genus bona aliena ad vitam sustentandam acceperit*, commonstremus. Nimirum *pauperum* appellatio tam ampla et vaga est, ut facillime quis in opinionem inducatur, opulentiores Christi sectatores bona sua in quoslibet effudisse homines, sive digni essent, quibus succurreretur, seu prorsus indigni. Quod a Constantino *magno* factum esse legimus apud Eusebium (4), cui si fides est, nemo imperatorem supplex adiit, quin aliquid boni acciperet, neque unquam spe sua frustrati sunt, qui auxilium ab eo exspectabant. Multo minus tamen culpanda est imperatoris imprudentia, quam labes illius temporis, quae plerorumque animos ita affecit, ut pecuniae in mendicos quoslibet erogationem pro pietate veri nominis habentes, inertiae pabulum praeberent. Rectissime enim *Laco* apud Plutarchum, cum a mendico quodam stipem rogabatur, *si tibi*, dixit, *obtemperarem*, *magis quam nunc mendicus existeres: nam huic tuae deformitati*, *qui primus tibi da-*

(1) 1 *Tim.* VI, 17 sqq. *Jac.* I, 9 sqq. II, 2 sqq.

(2) *Act.* XI, 29. XXIV, 17. 2 *Cor.* VIII, 3—15.

(3) *Rom.* XII, 13. 1 *Cor.* XVI, 2. 2 *Cor.* VIII, 7 s. s. IX, 5 sqq. *Hebr.* XIII, 16. 1 *Pet.* IV, 9, 10. 1 *Joann.* III, 17, 18.

(4) *De vita Constantini*, Lib. I, cap. 43.

dabat, causam praebuit, ignavum quippe te faciens (1). Sed Apostolos Jesu eorumque socios ac discipulos ignaviam nullo modo fovisse, ex locis iam apparet supra laudatis, ubi quisquis Christi profitetur nomen, ad victum sibi operando quaerendum excitatur. Et fieri non potuisse, ut turpissimae mendicitati profusione importuna faverent, aliunde quoque satis certo colligimus. Legum enim Mosaicarum, quas a pueritia pigram sordidamque vitam acriter detestantes audiverant (2), non tam immemores facti erunt, ut nunc patrocinium eius in se susciperent. Ipsi adeo *Essaei*, quorum placita, in vitam civilem satis iniqua, primis, ut supra vidimus, Christi sectatoribus affinguntur, assiduo et haud intermisso labori se dederunt (3). Quid? quod scriptores veteres Christiani, quibus paupertas voluntaria iam in deliciis erat, segnes et abiectos homines a pauperibus distinxere vere miserandis. Incertus auctor *Constit. Apost.* alicubi (4) his utitur verbis: Εἰ τίς ὡς καταφαγὰς, ἢ μέθυσος, ἢ ἀργὸς, ἐν τοῖς βιωτικοῖς θλίβεται, οὐκ ἔστιν, ἄξιος ἐπικουρίας, οὔτε μὴν ἐκκλησίας θεοῦ: quam sententiam gravissima Salomonis auctoritate tuetur (5). Alibi cuivis succurrere iubet, dummodo ille opis revera indigens sit (6): ipsumque Deum inducit iis, qui, cum sibi possint suppetias afferre, has ab aliis accipere volunt, mala quaevis minantem (7). Neque pla-

(1) *Opp. Moral.* p. 235 D. E. Xyl. (2) cff. Michaëlis *Mosaisch Recht*, Tom. II, p. 439 sqq. et Warnekros *Joodsche Oudheden* p. 88 sqq.

(3) cff. Philo *Judaeus* et Flavius Josephus l. l. c. c. (4) Lib. II, cap. 4.

(5) Excitat nempe *Prov.* XIX, 24. XXIII, 21. *Eccles.* IV, 5, quae loca legi merentur. (6) Lib. III, cap. 4. (7) Lib. IV, cap. 3.

plane defuerunt seculo quarto, qui discrimen inter pauperes misericordia dignos et indignos bene novissent. Lactantius, quid Philosophi de liberalitate sentiant, sic enarrat (1): *sed illi rursus eum, qui rei familiari suae non pareat, prodigum vocant. Nam ita liberalem distinguunt a prodigo, quod is liberalis sit, qui et bene meritis, et quum oportet, et quantum satis est, largiatur: prodigus vero, qui et non meritis, et quum opus non est, et sine respectu rei familiaris effundat.* Quibus auctor continuo adiungit: *Quid ergo? prodigumne dicemus eum, qui misericordiae caussa tribuat egentibus victum?* et copiose deinceps ostendit, quomodo egentes illi ab aliis differant. Pariter Chrysostomus, in *Orat. de Eleëmosyna* et alibi, iis tantum hominibus opem ferendam esse docuit, quibus sibi prospiciendi copia et facultas deesset (2). Praetereo alios similia in medium proferentes (3). Sed quid mihi argumenta ex longinquo conquiram? Si, quale hominum genus inter primos Christi sectatores ope aliena potitum sit, scire volumus; praesto nobis sunt, quae Novi Testamenti scriptores hac de re passim tradiderunt. Quibus hunc in locum collectis, nisi fallor, exploratum erit, talem non fuisse bonorum communionem, ut pabulum inertiae praeberetur.

Nimirum uti largitionis in pigros et ignavos homines nulla in Novo Testamento se produnt vestigia; sic expressis verbis Lucas sup-

(1) *Instit. Divin.* Lib. VI, cap. 17. Cf. cap. 11 § 26—28.

(2) Legitur haec oratio Opp. Tom. III, p. 248 sqq. Alium locum descripsit Neander, *der Heilige Joannes Chrysostomus.* Tom. I, p. 41.

(3) Uti Gregor. *Naz.* Tom. I, p. 244 A. Ed. col. 1690.

suppetias allatas esse narrat *indigentibus*, et sigillatim *viduabus* (1), in quibus Paulus socordiam quamcumque acriter reprehendit (2). Jacobus, ubi beneficentiae officium exponit (3), *viduas* et *pupillos*, aerumna afflictos iubet ἐπισκέπτεσθαι, id est, tam adiuvando quam consolando erigere. Joannes aliique laudant liberalitatem *peregrinis* praestitam (4). Recensentur igitur his in locis homines, qui sibi victum operando quaerere nequeunt. At quibusnam subveniendum esset, nemo clarius ac luculentius docuit, quam Jesus, *Matth.* XXV, 35, 36, qua in oratione sectatores suos calamitate oppressos et aliorum auxilio vere indigentes, quales a plerisque rogatoribus circumeuntibus oppido diversi sunt, auditorum suorum misericordiae commendat. Quotquot autem a Novi Testamenti scriptoribus mendicasse dicuntur, homines fuisse constat *oculis*, *auribus*, *aliisve corporis membris captos* (5): quapropter Lazarus propter morbum, quo laborabat, ex vita communi relegatus, inter pauperes numeratur, stipem ab aliis petentes (6). Et ipsa appellatio τοῦ πτωχοῦ his in libris, si probanda est Grotii (7) sententia, non significat, qui de mendicando victum quaerit, sed qui non habet, unde vivat, neque hoc sibi labore comparare potest. Quod fortasse confirmant verba *Luc.* XIV, 13, quorum vulgarem distinctionem sic mutandam esse coniicimus: κάλει πτωχούς· ἀναπήρους, χωλούς, τυφλούς:

ita

---

(1) *Act.* II, 45. IV, 34, 35. VI, 1. IX, 36–39. (2) 1 *Tim.* V, 13.
(3) *Jac.* I, 27. (4) 3 *Joann.* 5 sqq. cff. *Rom.* XVI, 2. *Hebr.* XIII, 2.
(5) *Marc.* X, 46. *Luc.* XVIII, 35. *Joann.* IX, 8. *Act.* III, 2.
(6) *Luc.* XVI, 20. (7) Ad *Matth.* XXVI, 11.

ita ut eorum sensus sit: *vocato pauperes, id est, mutilos, claudos, caecos.* Atque huic coniecturae favet, et rei natura, de qua loquitur Jesus, et sententia Lactantii: *Largire coecis, debilibus, claudis, destitutis*, ubi igitur pauperes, quorum *species* nonnullas recensuit, postremum generatim dicit *destitutos*, id est, *uno verbo destitutos* (1). Sed si vel hoc minus probabile sit, effecisse tamen nobis videmur, pauperes, quibus primi Christi sectatores vivendi subsidia procurarent, alios non fuisse homines, quam qui propter aetatem, aut valetudinem, aut negotia aliena sibi imposita impares essent ad laboris onera sustinenda: quibus igitur sapientissime praeberetur, ut *Horatiano* illo utar (2):

Quo frigus duramque famem depellere possent.

Huic autem sententiae, vide, quantum ponderis et momenti ex veterum scriptorum testimonio accedat. Auctor *Constitutionum Apost.* pauperes, quibus opitulari oporteat, *pupillos* esse dicit, *viduas, morbis afflictos, peregrinos consilii inopes, quoslibet egestate oppressos* (3) Similia Justinus *Martyr*, postquam Christianorum hominum liberalitatem laudavit, his tradit verbis (4): *τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ, ὀρφανοῖς τε καὶ*

(1) l. c. Lib. VI, cap. 11. § 18. Cf. cap. XII, § 21. et Vales. ad Euseb. Lib. VI, cap. 43. Ceterum huic coniecturae non obstat *Luc.* XIV, 21, ubi legimus: *καὶ τοὺς πτωχοὺς καὶ ἀναπήρους καὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς εἰσάγαγε ὧδε*: haud raro enim *genus* et *species*, intercedente coniunctione *καὶ*, copulantur. Cf. Grot. ad *Marc.* XVI, 7. (2) *Satir.* Lib. I. *Sat.* 2.

(3) Lib. II, cap. 25. cf. cap. 35 et Lib. IV, cap. 8. (4) *Apol.* I, cap. 88.

καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις καὶ ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ ὤσι κηδεμὼν γίνεται. Tertius nobis testis sit Cyprianus, a quo haec scripta reperimus (1): *sive viduae, sive clinomeni, qui se exhibere non possunt, sive hi qui in carceribus sunt, sive exclusi a sedibus suis, utique habere debent, qui eis ministrent. Sed et cathecumeni adprehensi infirmitate, decepti esse non debebunt, ut eis subveniatur.* Sed in re perspicua longiores esse nolumus (2). Restat, ut moneamus, Apostolos quoque Jesu, eorumque discipulos ac socios victum, quem ipsi propter varia et perpetua muneris sui negotia quaerere non possent, ab aliis accepisse (3). At Paulus tamen, uti fortasse bonorum non plane expers fuit (4); sic noctes haud raro diesque operatus est, ne ope aliena indigeret (5): cuius exemplum alii secuti sunt (6).

III. Ad tertiam pervenimus quaestionem, eamque postremam: *quomodo bona*, quae inter Christi sectatores antiquissimos communia fuisse vidimus, *ab aliis in alios collata sint.* Cui ita respondebimus, ut, facto a facilioribus initio, ad difficiliora, si quid coniectando possimus, explicanda progrediamur. Quam-

(1) *Epist.* 2. p. 9. Cf. liber *de opere et Eleemosynis.* p. 218.

(2) Cf. Moshem. *in Comment.* p. 89, 90. Neander, *Denkwürdigkeiten*, Tom. I, part. 2. p. 97 sqq. Segaer ad Clement. *Alex. liber, quis dives salvetur.* p. 299 sqq.

(3) 1 *Cor.* IX, 4—14. 2 *Cor.* XI, 8, 9. *Gal.* VI, 6. *Phil.* IV, 15, 16. 1 *Tim.* V, 17, 18. (4) Vide 2 *Tim.* IV, 13.

(5) Praeter loca supra iam laudata, huc spectat quoque 1 *Cor.* IX, 12, ubi tamen verba: Εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν, vel, ut post alios Griesbachius rectissime scripsisse videtur, ὑμῶν ἐξουσίας, μετέχουσιν, οὐ μᾶλλον ἡμεῖς; mihi minus clara et perspicua sunt. (6) Cf. Cotel. l. c. Tom. I. p. 52.

Quamquam verisimile est, sectatores Christi nonnunquam ipsos pecuniam suam pro lubitu inter pauperes distribuisse; plerumque tamen et vulgo eam ad homines distributioni vacantes attulerunt. Quo munere ab initio functi sunt *Apostoli* Jesu, postea, promotis societatis Christianae finibus, *Diaconi*, quos tam extra quam intra Hierosolyma, non ut coenae sacrae ministrarent (1), sed ut pauperes curarent, creatos esse, satis superque a viris doctis probatum est (2). Quoniam autem Diaconi huic negotio peculiariter praefecti erant, varias ab hac praefectura adepti sunt appellationes, uti νοσοκόμων, γεροντοτρόφων, ξενοδόχων, βρεφοτρόφων, ὀρφανοτρόφων et similes (3). Jam vero rem suam sic administrasse censendi sunt, ut aliis pauperibus pecuniam, ad victum sibi comparandum necessariam, dispertirent, aliis tantum quotidie darent alimenti, quantum cuique satis esset (4).

At eadem illa Novi Testamenti loca, unde haec colligimus, cum celebrata etiam memorent convivia, in controversias nos iniiciunt magno animorum ardore agitatas. Multa enim viri docti de horum conviviorum appellatione, indole, consilio, origine disceptarunt: tum etiam de temporibus, quibus habita sunt. Sed mis-

(1) Placuit haec sententia Natali Alexandro in *Historia Eccles. Vet. Novique Test.* Tom. III, p. 123 sqq. multisque viris praeclaris in Ecclesia Romano-Catholica, quibus praeter alios calculum suum adiecit Vitringa *de Synagoga veteri*, p. 920 sqq.

(2) Legantur Rhenferdius in *Opp. Philol.* p. 361 sqq. et Moshem. in *Comment.* p. 120 sqq. (3) Cf. F. Spanhem. Opp. Tom. I. p. 554.

(4) Vide denuo *Act.* II, 45, 46. IV, 34—37. V, 1, 2. VI, 1, 2. *Rom.* XVI, 2, de quorum locorum interpretatione, si bene se habent, quae supra disputavimus, nulla iis esse poterit.

missis, quantum licebit nobis, variis eorum sententiis, quae alibi legi possunt (1), periclitari nobis visum est, quid ad dissensiones tollendas vel minuendas valeamus. Pauperes iam inde a societatis Christianae incunabulis ad mensas sibi paratas convocatos esse, constat inter omnes. De quaestione vero, utrum epulae illae *publicae* fuerint an *privatae*, sic nostra fert sententia: eas quidem dici posse *publicas*, quatenus sectatorum Christi, qui illuc accedebant, nemo prorsus amotus esse videatur; sed tamen reapse *privatas* fuisse: quoniam quisque eas cum convivis, a se invitatis vel et admissis, *domi suae* habebat. Haec autem sententia verbis nititur Lucae *Act.* II, 46, ubi homines Christiani dicuntur κλῶντες κατ' οἶκον ἄρτον, quod sine scrupulo sic explicamus: *frangentes panem singulis in domibus* (2). Qui enim vocabula κατ' οἶκον exponunt *in templo* (3), immemores sunt proxime praecedentium: ἐν τῷ ἱερῷ: a quibus cum haec aperte distinguantur, aliter ea exponi nequeunt, quam a nobis factum est. Nam quod alii (4) contendunt, exstare loca, ubi formula κατ' οἶκον *unam* tantum *domum* significet, nostram interpretationem nullo modo infringit. Fatemur ultro et libenter, ubi scriptor quis *de uno* lo-

(1) Vide Scriptores excitatos a Moshem. *Instit. Hist. Eccles.* p. 58. Heinreichsio l. c. p. 335. Kuinoel. ad *Act.* II, 42. Hänleinio in *Commentar.* ad *Jud.* 12 aliosque. (2) Cff. Valla, Erasmus, Vatablus aliique ad h. l.

(3) Ita Beveregius in *Cod. Canon. Eccles. Prim. illustr.* adiecta editioni *Patr. Apost.* l. Tom. II. p. 86 aliique. cf. Kuin. ad h. l.

(4) Scaliger, aliique a Wolfio in *Curis* et Kuinoel. ad h. l. memorati; quos iam praecessisse videtur Hesychius, formulam κατ' οἶκον interpretans *κατὰ τὸν οἶκον*.

loquitur *homine*, ridicule agere, qui huic formulae sensum subiiciat, a nobis propositum; sed ubi *plures homines* aliquid κατ' οἶκον fecisse dicuntur, hanc interpretationem postulant cogitandi leges, quas menti humanae natura praescripsit, et quas loquendi usus sequitur (2). Quapropter etiam cadit coniectura Moshemii (3), verba κατ' οἶκον explicanda esse *in diversis domibus*, atque his denotari *domus*, *ad rem divinam faciendam peculiariter consecratas*. Sed quod vir praeclarus post alios de hac aedium sacrarum antiquitate dicit, nullam quoque *in se* habet proabilitatem: siquidem sectatores Christi tum demum censendi sunt nonnullas aedes *privatas* ad rem divinam faciendam consecrasse, cum *publicas*, id est templum Hierosolymitanum adire non amplius iis licebat. Praeterea monendum est, homines illos, quamdiu templum quotidie sacrorum causa frequentarent, se ex Judaeorum numero nondum segregasse, neque igitur alia loca publica, ubi Deum solenni ritu colerent et adorarent, quam populares suos habere potuisse. Atque hoc unum ad sententiam, convivia, de quibus Lucas loquitur, *privata* fuisse, tuendam fortasse iam satis est.

Iam vero his in conviviis sectatorum Christi, uti singularis fuit fru-

(2) Nimirum formula κατ' οἶκον plane idem denotat ac vox latina *domi*, qua igitur rectissime post alios usus est Morus in *Versione et explicatione Act. Apost. ed. a* Dindorfio ad h. l. Hanc vero, ubi ad plures familias refertur, pro *sua quisque domo* dici, et nemo ignorat, et res ipsa loquitur. Et Scriptorum Graecorum, cum κατ' οἶκον de pluribus familiis usurparent, eandem mentem fuisse, luculentis exemplis probavit Kypke *Observat. Sacr.* ad h. l.

(3) *Commentar.* p. 117, 118.

frugalitas, qua non solum in praesentia, sed etiam postero die iucunda essent (1); sic ea occasionem quoque praebuerunt memoriae Christi, ad eius mandatum, edendo et bibendo celebrandae. Qui enim una Christi caritate huc congregati erant, a se profecto impetrare non potuerunt, ut officio, quod ille salutis auctor in vitae exitu cultoribus nominis sui imposuisset, satisfacere negligerent. Quae causa est, cur Lucas eadem in orationis serie, ubi Christianos homines non solum in bonorum communione, sed etiam in disciplina Apostolorum sequenda precibusque una faciendis perseverasse tradit, τὴν κλάσιν quoque τοῦ ἄρτου, id est, *coenas communes* memoret. *Communes* dico: nam, cum post alios scribebat Moshemius (2), formulam: *frangere panem* hoc in commentario Lucae plerumque *Coenam Sacram* denotare, memoria virum praeclarum sine dubio fefellit (3). Fortasse tamen quis ita ratiocinabitur: *Sacrilegium fuisse, sacrosanctum illud epulum, quod unius corporis est Symbolum, cum coenis privatis confundere* (4). Sed haec contradictio movebit neminem, qui meminerit, tum demum scrupulum, ne sacra profanentur, hominibus iniici solere, cum, serpente in vulgus pravi contagione, antiqua simplicitas et honestas ei displicere incipiant. Quae animo-

(1) Verbis utor Timothei apud Cicer. *Tusc. Quaest.* Lib V. cap. 35, quae etiam prodidit Aelianus *Var. Hist.* Lib. II, *cap.* 18. (2) l. c. p. 115.

(3) Quinquies haec formula in *Act. Apost.* legitur. II, 42. 46. XX, 7, 11. XXVII, 35. Sed his in locis nullus est, ubi quis probaverit ea *Coenam Sacram* denotari. Bis sine controversia de *Coena Communi* dicitur, nempe cap. XX, 11 et XXVII, 35. Ceterum cff. Grot. ad *Act.* II, 42.

(4) Haec verba Bezae sunt ad *Act.* II, 46.

morum depravatio si non in tempora cadit, de quibus loquimur, nihil obstat, quominus Apostoli eorumque aequales memoriam Christi haud raro in ultima coena celebrasse censeantur. Et uti, quod crebro fit, paulatim in more ponitur; sic et ab his hominibus mos tandem receptus esse videtur memoriae illius, quoties convivia habebant, inter panis vinique usum repetendae. Qua in re quoniam praeclarum laetandi argumentum repererunt, Lucas eos *cibo usos esse* enarrat *ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας*, id est, *gaudio simplici et innocenti* (1): quale scilicet non solum ex viribus corporis cibo potuque reficiendis capiebant, sed praecipue ex recolendis beneficiis per Christum eiusque mortem in cruce sibi allatis. Hoc autem ubi idem auctor nobis tradit *quotidie* factum esse, clare ab eo edocemur, quonam sensu viris doctis concedendum sit, antiquissimos Christi sectatores quovis fere die ad sacram coenam congregatos esse (2). Aliquanto post vero consecrato ab iis ad solennia die hebdomadis primo, quo Christus ex morte in vitam redierat, opulentiores stato illo tempore, vel singuli domi suae, vel universi in locis sacris, coenas instruxerunt, easdemque una cum pauperibus, tum ad alimenta capienda, tum ad memoriam Christi celebrandam habuerunt. Quod et aliunde cognitum est, et ex luculentis Novi Testamenti testimoniis. (3). Et coe-

(1) Haec enim per *Hendiadyn* sumenda esse videntur pro *ἐν ἀγαλλιάσει ἀφελεῖ καρδίας* vel *ἀφελέως καρδίας*.

(2) Quod nuperrime etiam visum est Bertholdto *Handbuch der Dogmengeschichte*. Tom. I, p. 662

(3) 1 *Cor.* XI, 17 sqq. nec non *Act.* XX, 7 sqq. ubi legantur interpretes.

coenas illas iam pridem *Agaparum* nomen adeptas esse, quis quaeso ignorat? Diserte enim Iudas in *Epistola* vers. 12 de falsis scripsit doctoribus: *οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι ἀφόβως*: quemadmodum in libris bonis et antiquis verba Petri, 2 *Epist.* II, 13 sic leguntur: *ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀγάπαις αὐτῶν συνευωχούμενοι ὑμῖν*: ubi tamen cum aliis libris iisdemque haud spernendis editio vulgaris pro *ἀγάπαις* habet *ἀπάταις*. Sed, iudicio de vera huius loci scriptione aliis relicto (1), monuisse iuvabit, convivia illa, quamvis iam brevi tempore variis in locis ab origine sua degenerarent, alibi tamen, et Apostolorum aetate, et longe postea, genuinam suam retinuisse simplicitatem et gravitatem. Describamus verba Minucii Felicis (2): *convivia* inquit, *non tantum pudica colimus, sed et sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus.* Amplissimi quoque nobis testes sunt Plinius, Iustinus *Martyr*, Tertullianus, aliique (3). At increbrescente tamen morum corruptione, prudentioribus viris ad Laodicaeam congregatis seculo IV visum est, a celebratione mortis Christi Agapas se-

(1) Haud improbabilem tamen puto sententiam, hanc fraudem iam antiquissimo tempore librariis fecisse oculos, ut *ἀπάταις* pro *ἀγάπαις* legerent. Similiter lapsi sunt in legendo *Sirach.* XIV: 16, ubi non dubito, quin editio vulgaris sic corrigenda sit: Δὸς, καὶ λάβε, καὶ ἀγάπησον τὴν ψυχήν σου. Vide *Interpr. Alex. Psalm.* XXXIII, 12. *Prov.* XVI, 3. *Sirach.* XXX, 23. Cf. Grot. ad h. l. (2) in *Octav.* p. 26.

(3) Plinius *Epistolarum* Lib. X, *Ep.* 97. Iustin. *Mart. Apologet.* I, cap. 65 sqq. Tertullian. *Apolog. adv. Gent.* cap. 39. cff. B. Rhenani annot. ad librum eius *de corona militis*, p. 436, et Orellius ad Arnobium Lib. IV, cap. 36.

secludere, atque harum usu omnibus eius sectatoribus interdicere (1). Sed neque hoc tempore, nec postea conciliorum decreta hunc habuere successum, ut illius consuetudinis tanquam radices ubique locorum penitus exstirparent. Quid? quod eius vestigia hodieque, si fides penes auctores est, apud *Coptos* et alibi nondum plane exstincta sunt (2). Verum quis non intelligit, convivia talia horum temporum rationibus parum accommodata esse? Quis non ridet stuporem nonnullorum hominum, qui hunc ritum vetustatis nobis restituere conantur (3)?

Sed in diverticulum delapsi sumus, unde in viam redeundum est. Restat enim nobis magna quaestio, quaenam huiusmodi bonorum communionis, qualem ab antiquissimis Christi sectatoribus institutam esse vidimus, causae fuerint et origines. Neque tamen ea valde intricata nobis esse videtur. Nimirum inter homines Christianos primo tempore plurimos fuisse, qui in conditione tenui et afflicta versarentur, una vox est Scriptorum veterum. Et nusquam plures in societate Christi vixisse pauperes, quam Hierosolymis, quis

(1) Concilii decretum reperitur in Canisii *Thesaur. Monum. Eccles. et Histor. Ed. Basn.* Tom. II, part. 1. p. 271 cf. Suicer. *Thesaur. Eccles.* Tom. I, p. 27. Quam parum autem illis temporibus caritati mutuae, quae vere ita dicitur, pretium suum statuere sciverint, ex eo quoque apparet, quod vocem Ἀγαπὴ ad contubernia cum virginibus transferebant. cff. et Billii *Scholia in vitam* Gregor. *Nazianz.* Opp. Tom. II, p. 1353.

(2) Vide Savary *Abregé de la vie de Mahomet.* p. 143 et Paulin *Voyages aux Indes Orientales.* Tom. I, p. 365 sqq.

(3) cff. scripta hoc de argumento in lucem edita, quae memorantur ab Ernestio *Neue Theolog. Biblioth.* Tom. III, p. 545 sqq.

quis a Novi Testamenti lectione paulo est instructior, qui ignoret? (1) Turpissime vero his testimoniis abusi sunt religionis Christianae adversarii, sectam Christi dicentes pro magna parte ex abiectorum deque infima plebe natorum hominum colluvione exstitisse (2). Ipsa enim bonorum communio in usum sine dubio introducta ab iis est, qui opibus abundabant: atque hos valde numerosos fuisse, tam certo confirmat omnis veterum memoria, ut sine impudentia negari nequeat (3). Sed contumeliam nobis impositam obiter repulisse, satis erit. Pauperes autem quod attinet modo memoratos, nemo dubitabit, quin, sacris avitis deserendis, iam antequam edicto publico ex Iudaeorum societate eiicerentur (4), in popularium suorum odium incurrerint. Quorum igitur auxilio privati ne omnium rerum egestate perirent, curare debuerunt beatiores eiusdem disciplinae socii (5). Iam vero huic officio cum ita satisfacerent, ut neque mercedem illis negarent operando partam, nec fundos, quae Ciceronis vox est (6), amicis anteponerent, non imitatores eos fuisse puto sectae alicuius aut Iudaeorum,

---

(1) Lectu dignus in primis est Origenes Lib. I. *contra Celsum* cap. 27.

(2) Cff. *Nieuwe Verhandelingen van het Gen. tot verd. van den Christ. Godsd. voor het jaar* 1816. p. 70 sqq. 334 sqq.

(3) Vide, praeter loca *Act. Apost.* iam excitata, VI, 7. VIII, 26. X, 48. XIII, 12. XVI, 19. XVII, 4, 34. alia. cff. Origen. l. c. Lib. III, cap. 74. Lib. VI, cap. 14. Minucius Felix l. c. p. 7. Arnob. l. c. Lib. II, cap. 5. Augustinus *de civitate Dei* Lib. XXII, cap. 5. Quibus nuperrime calculum suum adiecit Planck *Geschichte des Christenthums.* Tom. II, p 27, 28.

(4) *Act.* VII, 58. VIII, 1, IX, 1, 2. Coll. *Joann.* IX, 22.

(5) Cf. Strigelius ad *Act.* II, 44. (6) *De finib. bon. et mal.* Lib. II, cap. 26.

rum, aut exterarum gentium, sed obtemperavisse unius Christi mandatis. Praetereo verba eius uni tantum iuveni proposita: *εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, ὕπαγε, πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς* (1). Sed notandum est, quod auditoribus suis generatim praecepit: Πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν, καὶ δότε ἐλεημοσύνην. (2) Hoc enim ex loco apparet, Iesum ipsum sectatoribus suis bonorum suasisse venditionem, ut pretia eorum inter pauperes dispertirent. Itaque si quis rogat, cur Apostolorum discipuli et aequales bona sua vendiderint, et pecuniam contractam distribuerint inter pauperes, me quidem iudice nihil probabilius est quam coniectura, ita factum esse ex mandato Iesu, pro illis temporibus aptissimo. Quod iam testatus est Eusebius, ita scribens (3): *καὶ γὰρ δὴ πλεῖστοι τῶν τότε μαθητῶν, σφοδροτέρῳ φιλοσοφίας ἔρωτι πρὸς τοῦ θείου λόγου τὴν ψυχὴν πληττόμενοι, τὴν σωτήριαν πρότερον ἀνεπλήρουν παρακέλευσιν, ἐνδεέσι νέμοντες τὰς οὐσίας*: qua tamen in oratione hanc beneficentiam perperam *plerisque* tribuit. Neque hac tantum in re praecepta Iesu secuti sunt, sed in eo quoque, quod Apostolis ceterisque viris, quos religionis docendae causa emiserat, aeque ac pauperibus, victum suppeditabant, ad voluntatem eius se composuerunt, dilucide explicatam (4): ne de vi loquar exempli, in ipso iam Iesu, dum in vivis erat, una cum discipulis eius sustentando exhibiti (5). Et mos

---

(1) *Matth.* XIX, 21. coll. *Marc.* X, 21. *Luc.* XVIII, 22.
(2) *Luc.* XII, 33. (3) *Hist. Eccles.* Lib. III, cap. 37.
(4) *Matth.* X, 10. *Luc.* X, 7. coll. *Joann.* XIII, 20.
(5) *Matth.* XXVII, 55, 56. coll. *Marc.* XV, 40, 41. *Luc.* VIII, 1—3. X, 38 sqq. Hoc tamen novum et inauditum non fuit, sed inter Iudaeos tritum et

mos adeo pauperes ad coenam vocandi, opulentiorum hominum liberalitate paratam, ex eodem similive fonte nobis manasse videtur. Nempe Iesus, quemadmodum per totam vitam pauperes sectatorum suorum misericordiae commendavit; sic hanc in primis praestari monuit, si quis ad convivium, quod instruxisset, miseros illos invitaret. Clara eius verba sunt *Luc.* XIV, 13, supra iam descripta, sed hic iterum describenda: ὅταν ποιῇς δοχὴν, κάλει πτωχοὺς· ἀναπήρους, χωλοὺς, τυφλούς. καὶ μακάριος ἔσῃ· Credibile autem est, doctorem caritatis plenissimum eadem vel similia saepe repetiisse (1). Iam vero his Iesu mandatis, aeque ac ceteris omnibus, sectatores eius statim ab eo tempore, quo in unam societatem congregari inciperent, ita obsecutos esse putamus, ut, qui divitiis pollebant, pauperes mensae suae participes facerent; atque hanc mensam *Agapen* dicerent, quoniam caritas ipsa eam quasi parasset, et in ea praesideret (2). Quae nobis sententia non solum simplicitate sua arridet, sed in Veterum etiam habet scriptis, quo eam, nisi omnino fallimur, bene tueamur. Audiamus denuo auctorem *Constit. Apostol.* (3) his utentem verbis: τοῖς εἰς ἀγάπην, ἤτοι δοχὴν, ὡς ὁ Κύριος ὠνόμασε, προαιρουμένοις καλεῖν πρεσβυτέρας, ἣν ἐπίστανται οἱ διάκονοι θλιβομένην, αὐτῇ πλειστάκις πεμπέτωσαν. Respicit ibi Scriptor, non

---

et usitatum. Cff. scriptores laudati a Beckio *Anleitung zur Kenntniss der allgemeinen Welt- und Völkergeschichte.* Tom. II. p. 398.

(1) Cff. *Matth.* IX, 13. XXII, 9, 10. *Luc.* XI, 39—41. XIV, 21. Add. *Tob.* IV, 7, 16 nec non *Deut.* XIV, 29. XXVI, 12 aliaque loca excitata a Sigonio *de Republica Ebraeorum.* Lib. IV, cap. 15.

(2) cf. Schroeckh, Tom. III. p. 338, 339.

(3) Lib. II, cap. 28.

non ad sacrae coenae institutionem, sed ad orationem Iesu apud Lucam, quam modo laudavimus. In hac una enim vox δοχὴ reperitur: ceterum in nullo alio Novi Testamenti loco occurrit, praeter *Luc.* V, 29, ubi argumentum tractatur ab hoc longe diversum. Eadem voce δοχὴ utitur Ignatius, sive quisquis auctor est *Epist. Interpol. ad Smyrnaeos* (1). Οὐκ ἐξὸν ἐστι, ait, χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν· Quid vero in *altera huius Epistolae editione?* Nimirum haec: οὐκ ἐξὸν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγαπὴν ποιεῖν: quibus igitur in locis vocabula δοχὴ et ἀγαπὴ rursus permutantur. At luculentissimum testimonium est Clementis *Alex.* (2), ubi, reprehensis hominibus, qui lautas dubiasque coenas, in quibus comessandi et potandi voluptate pascebantur, *Agaparum* nomine vocabant, et *Agapen* sacram dedecorabant, orationem sic persequitur: τὰς τοιαύτας ἑστιάσεις ὁ Κύριος ἀγάπας οὐ κέκληκεν. Λέγει γοῦν — — — ὅταν ποιῇς δοχὴν, κάλει τοὺς πτωχούς· ἐφ' ᾧ μάλιστα δεῖπνον ποιητέον. His verbis interiecta sunt nonnulla, quae describere nihil attinet. Sed ex iis, quae descripsimus, duo apparent: alterum, *Agaparum* institutionem a Clemente ipsi Iesu attributam esse; alterum, ex temporis illius sententia, *Agapas* eadem fuisse convivia, de quibus Iesus secundum Lucae Euangelium locutus esset. Verum haec Clementis ceterorumque Scriptorum dicta quantum valeant ad nostram coniecturam probandam, Doctorum Virorum iudicio relinquimus.

---

(1) cap. 8. (2) In *Paedagogo* Lib. II. p. 141.